

matris, quæ stabat juxta crucem, opprobrium et humiliationem recidebat. Præsertim quia interdum eam perstringebant, Christo familiæ paupertatem obicientes, et quasi per contemptum dicentes illud Marci VI. *Unde huic hæc omnia: nonne hic est faber, et filius Mariæ?* et mox: *Et scandalizabantur in eo:* quæ tamen omnia ipsa non minus humiliter quam patienter æquo animo ferebat. Sciebant sane Judæi, ipsam ex regia David progenie oriundam: siquidem et cæci Christum filium David proclamabant: nihilominus ob ejus paupertatem, tam abjecte de ea loquebantur et sentiebant. Dum ergo hæc tam amara (ut taceam ejus labores, itinera, sollicitudines) Filii causa devoravit, annon Filii gloriam magnopere illustravit?

XI. Fortitudo; quæ enituit potissimum, quando Virgo juxta crucem stetit: tunc enim acutissimum illum doloris gladium a Simeone, Luc. II. sibi prædictum, pectore suo exceperit, et ita fortiter, ut nihil egerit dignitati suæ personæ indecorum aut rationi dissonum: neque sensuum defectum aut perturbationem, nec quem vocant, spasmus passa est, (hæc enim inordinata commotio et tristitia derogaret excellentiæ Virginis) sed cum oris gravitate et animi moderatione dolorem illum miscuit, ut satis indicat Joannes, testis oculatus, cum refert eam juxta crucem Filii, non jacentem ut sedentem, sed stantem, quasi omnibus angustiis, animi magnitudine superiorem: *Stantem illam lego, flentem non lego*, inquit S. Ambrosius, in orat. in obitu Valentiniani: et de institut. virg. cap. VII. *Stabat ante crucem Mater et fugientibus viris stabat intrepida.* Neque enim erubuit crucem et ignominiam Christi, neque timuit Judæos et alios Christo insultantes, etiamsi mater esset ejus, quem tam hostili et pertinaci odio prosequerentur; quin publico ac conspicuo loco absque ulla animi dejectione juxta ejus crucem stetit parata, quidquid opis posset Filio præstare. Cum qui supplicio ultimo afficiuntur, ipsorum parentes, imo omnes propinqui impossibile sibi existimant, spectare illorum supplicium; unde plerumque alio discedunt: quemadmodum et Agar illa filium jam moriturum abjecit, et abiit dicens: *Non videbo morientem puerum*, Genes. XXI. At non ita Deipara, quæ proinde eximiam gemmam coronæ Filii inseruit, dum ita ei adstitit, et sane gratum fuisse Filio hoc matris obsequium, illud argumento est, quod Christus in tanta dolorum acerbitate curam ejus gessit, eamque discipulo commendavit: *Mulier, ecce filius tuus*, suppresso matris nomine, ne ei dolorem augetet.

XII. Perseverantia; quæ est coronis omnium virtutum; perseveravit autem cum Christo, usque

dum is in cruce moreretur et sepeliretur. Perseveravit deinde cum discipulis in oratione usque ad missionem Spiritus sancti, ut habetur Act. I. imo discipuli cum ipsa perseverabant (ut ibi legitur tamquam cum magistra orationis et perseverantiæ. Perseveravit denique cum Ecclesia per annos quindecim post ascensionem Christi velut abbatissa totius Ecclesiæ, usque dum a Christo evocaretur ad Ecclesiam triumphantem. Jam si hanc virtutem commendavit Christus in discipulis suis, qui tamen nondum usque ad crucem perstiterant cum ipso: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*, Luc. XXII. quomodo non multo magis commendare debuit in matre?

Vidimus ergo non immerito coronatam esse a Filio matrem stellis prærogatarum duodecim: siquidem et ipsa coronavit Filium gemmis obsequiorum duodecim. Superest nunc ut nos quoque, si coronari velimus a Christo, coronas contexamus pro modulo saltem nostro, ad coronandum Christum: *Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, inquit apostolus, II. ad Tim. II. Hæc igitur obsequia Virginis imitari studeamus, etc.

### CONCIO V.

#### QUAM SIMILIS FILIO DEIPARA.

I In vultu et fortuna. — II. In mutuo consensu. — III. In conversatione: 1. In humilitate. 2. In obedientia. 3. In charitate. 4. In silentio. — IV. In tribulatione et passione. — V. In prærogativis multis.

#### THEMA.

*Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* Prov. VIII.

Cum expendo mecum hodiernam genealogiam, in mentem mihi venit, quod Gen. c. II. legimus, Deum dixisse de Adamo: *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Quapropter adduxit Deus universa animantia ad Adam, ut videret quid vocaret ea: Adæ vero non inveniebatur simile. Solus erat Adam, nec poterat habere communionem cum creaturis, quod sibi non essent similes. Itaque creavit Deus Evam, quæ conspecta dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, quasi diceret: *Apaga a me animantia prius adducta, quia mihi non sunt similia, atque ideo non placent.* Hæc mulier mihi simillima, est, ideoque perplacet, et hanc ego mihi quærebam. Hunc in modum Christus, tametsi coram se vidit omnis generis animalia, id

est, sanctos veteris testamenti, nullum tamen ex iis similem sibi invenit, donec ad Mariam venit, quæ velut altera Eva, simillima illi fuit. Hanc igitur elegit in matrem velut os ex ossibus suis, id est, sibi similem. Quam ob causam vocari eam voluit, *mulierem amictam sole*, quod videlicet Christum ipsum in vitæ conversatione repræsentavit. Et propterea Ecclesia in hodierna epistola applicat huic matri vestes filii ejus, id est, laudes et encomia, quæ ad litteram de sapientia æterna, id est, Filio Dei tantum scripta sunt a Salomone, Prov. VIII. Videamus ergo nunc quibus potissimum in rebus, et quam similis fuerit filio matri.

I. In vultu et fortuna seu bonis corporis et fortunæ. Quod attinet ad speciem et complexionem corporis, erat Christo simillima; ut imprimis testatur Nicephorus, libro I. hist. eccles. cap. XL. Qui cum descripsisset speciem Christi, subdit: *Persimilis denique per omnia fuit divinæ et immaculatæ suæ Genitrici*: deinde, Albertus Magnus, in libro de Beata Virgine apud Dionys. Carthus. lib. I. de laud. Virg. art. III. « Quemadmodum, inquit, corpus Christi, quod Deus supernaturaliter per seipsum formavit, est perfectissimum atque pulcherrimum in natura, quod fieri potuit secundum statum viæ, quod natura per se operans facere potest: ideo dicimus, quod si Christus fuit speciosus forma præ filiis hominum, sic virgo pulcherrima fuit inter filias hominum. » Confirmatur etiam hinc, quia inter genitum et generantem similitudo intercedit, ex aliquo impediatur accidente: cujusmodi nullum intervenisse patet non solum ex optima Virginis complexionem, sed etiam ex sapientissimi architecti, Spiritus sancti operatione. Et vero convenientissimum erat, ut filius hic assimilaretur matri, quo sciretur ejus filius et futuræ redarguerentur hæreses. Joseph assimilari non debuit, quia ejus filius non erat. Ad hæc sicut in Christi facie radiabat fulgor quidam et majestas divinitatis, qua ad sui amorem pertrahebat animos hominum, ut scribit Sanctus Hieronymus, super cap. IX. Matth. sic etiam in Deiparæ vultu supernaturalem quemdam splendorem radiasse, scribit Dionys. Carth. lib. I. de laud. Virg. c. XXXIX. si enim Moyses ex consortio Dei radiantem accepit vultum, quid mirum, si et mater Christi ex tot annorum conversatione? Quod attinet ad fortunam, non parva etiam similitudo cernitur. Imprimis enim facultates fuerunt omnino pares; mater erat pauperula, pauper et filius. Conditio non omnino impar; mater fuit sponsa fabri, filius patrem habuit fabrum, magnum, inquam, architectum universi. Ad hæc quemadmodum Christus a summo

cælo egressus, per omnes angelorum enoros descendit in terram, etiam infra homines, et factus est ex maximo minimus; ita suo modo Deipara ex regio Davidis stemmate paulatim per familias descendit ad statum humilem et pauperulum, ita ut ipsa fieret sponsa fabri, uti Christus filius fabri: rursum sicut Christus e summo gloriæ apice ad infimum descendit et propterea ad summum elevatus est: ita proportione servata, mater ejus a summa regum dignitate ad humillimam conditionem devenit, et hinc iterum ad summam, post Christum, cæli dignitatem ascendit.

II. In mutuo consensu et voluntatis conformitate. Etenim Deipara tam erat addicta Filio, tam conformis et consentiens, ut non posset magis. Quid enim sibi volunt illa ejus verba: *Ecce ancilla Domini?* Nonne illud ipsum, quod verba Abigaëlis (ad quæ videtur alluisse) postulata in uxorem a Davide, I. Reg. XXV. *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei?* Obtulit ergo se his verbis in ancillam, non solum Deo Patri, sed et Filio ejus, suo mox futuro ad serviendum ei per omnia. Quis autem dubitare potest oculos ancillæ hujus oculatissimæ; et quæ optime noverat Filii sui divinitatem, semper fuisse in manibus Filii velut Domini sui; ad Evam dixit Deus, Gen. III. *Ad virum conversio tua erit*, (juxta Chaldæum) id est, observent oculi tui viri propensionem, oculos et nutum. O quam accurate præstitit hoc Filio Deipara, quæ sciebat illum non solum esset Filium, sed et patrem ac creatorem suum! Verum igitur heliotropium exhibit se Deipara, in omnibus actionibus conversa ad Filium suum veluti ad solem. Vultisne hoc videre? Audite loquentem Filio post triduum reperto, et alio tempore assidenti in nuptiis. Ibi enim percepto Filii responso: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Statim acquievit, licet hoc verbum non intellexerit, uti scribit Lucas, c. II. sed et Christus se conformavit voluntati matris: *Descendit enim cum illis, et erat subditus illis.* Hic vero audiens a Filio nondum venisse horam ejus ad miraculum patrandum, mox iterum acquievit, et mandavit famulis: *Quodcumque dixerit vobis, facite*, Joan. II. quasi certa de miraculo, tempus tantum opportunum lubeat expectari, donec Filio placeat vinum providere. Nullæ hic audiuntur replicæ et triplicæ, ut solet fieri in curiis: acquiescit mater Filio, et Filius matri. Descendit enim cum ea in Nazareth, et procurat vinum per miraculum. Dices, aliquid dissensionis videri intervenisse, siquidem duriuscule respondit Filius matri: *Quid mihi et tibi factum Filii matris approbavit totum; fecit enim mox,*



quod illa modestissime non tam postularat, quam insinuarat. Quemadmodum sol et luna rectissimo semper obtutu sese contuentur (licet enim nobis luna videatur crebro sinistre tantum et ex latere solem intueri adeoque non esse tunc plena, ea tamen parte, qua soli obversa est, semper plena est, et recta solem aspicit: ita sanctissima illa mater Filium optime intellexit, suamque voluntatem ei per omnia conformavit: similiter et Filius mentem et voluntatem matris optime intellexit et suæ conformem videt, tametsi quis ex verbis ruditer intellectis aliud conjectet. Idem videre est in passione Christi, ubi absque dubio optabat mæsta mater aut Filium non amittere, aut cum ipso mori; nequaquam vero ipsum cum alio permutare. Assensit tamen libenter et in mortem Filii et in suam derelictionem et in permutationem, qua discipulum pro magistro, cognatum accepit pro Filio. Totam ergo ibi voluntatem suam in Filium effudit, dicens intra se: *Non ego volo, sed quod tu.* « Stabat, inquit S. Antoninus, IV. part. tit. XV. c. XLI. § 1. firma voluntati Dei conformans se. Sciebat sancta Virgo, quod Dei voluntas erat Filium suum pati, et propter hoc in mundum venerat, et Scripturæ, quæ sibi satis notæ erant, hoc pronuntiabant, quæ falli non poterant, et cum in omnibus requiem quæreret, ut de ipsa canitur, quæ non aliter fere quæritur et possidetur nisi conformando se divinæ voluntati secundum rationem; ideo stabat, non murmurabat, quid Filius innocentissimus pateretur; non blasphemabat Judæos, quod ab eis, quibus tot fecerat beneficia, tam crudeliter tractaretur; non vindictam a Deo petebat, ut illi a terra vivi absorberentur, uti merebantur; non capillos, vel vultum scindebat, quia vidua et sine Filio consolatore remanebat, sed stabat verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immersa. » Anselmus: « O Domina quos fontes lacrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis cum attenderes unicum tuum innocentem coram te flagellari, ligari, mactari, et carnem carne de tua crudeliter dissecari? Et tamen ita divinæ voluntati conformis fuisti, ut salutis humani generis avidissima esses; ut dicere audeam, quod si nullus fuisset repertus, qui Filium crucifigeret, ad hoc ut sequeretur salus hominum et adimpleretur voluntas Dei secundum rationem, si oportuisset, ipsa posuisset in crucem, etc. » Multi etiam pie ac recte meditantur, Deiparam, quando sub cruce stans audiit Filium orare pro suis crucifixoribus, et ipsam in genua tunc provolutam orasse pro iisdem et quantum erat ex parte sua, eis ignovisse, apud Salmeron. in primum Christi verbum.

III. In conversatione et virtutum exercitio. Atque ut pauca delibemus, similis ei fuit; primo, in humilitate. Christus se hominum ministrum vocat; Maria se ancillam Domini: Christus laudes et miracula sua prædicari vetuit; Maria ad laudes suas ab angelo prædicatas turbata est, et secretum dignitatis suæ, qua in Dei matrem electa erat, occultavit proprio sponso: Christus gloriam suam patri tribuebat; Maria simili modo cum audiret ab Elisabetha beatam se vocari, erupit in laudem Dei, totum illi adscribens, quicquid accepisset: *Magnificat animea mea Dominum, etc.* Christus de cælo venit hominibus ministrare, dominus servus, creator creaturis suis; Maria abiit in montana ministrare Elisabethæ utique major minori. Invitata ad nuptias consanguineorum, eo se contulit diem præveniens (ut existimat Toletus, non improbabiler) nuptiarum, quasi præstitura auxilium in ministerio, vitam omnino communem traducens, quam viderat elegisse Filium, ut sic omne genus hominum facilius ad se traheret.

Secundo, in obedientia, quia ut Christus se subiecit legibus, quibus non subiacebat, ita et mater. Ascendit puer Jesus tempore paschali ad templum in Jerusalem, cum ad hoc non obligaretur: ascendit etiam mater ejus, nec ipsa ad hoc obligata, ut patet, Exod. XXIII. et XXXIV. ubi id viris tantum præcipitur, non mulieribus: Christus circumcidi et præsentari in templo voluit, cum tamen supra omnem legem esset, utpote legislator; similiter Maria legi purificationis libere se submitit, cum ei non subesset: Christus subditus erat subditis suis, parentibus videlicet, quorum Deus erat; Maria subdita erat viro suo, sancto quidem illi, se tamen multo inferiori.

Tertio, in charitate et misericordia. Christus in deserto videns hominum multitudinem cibo destitutam: *Misereor super turbam*, inquit, *quia jam triduo sustinent me, nec habent quod manducant*, Matth. XV. similiter et mater ejus in nuptiis Canæ videns deesse vinum pauperibus ex commiseratione: *Vinum non habent*, ait.

Quarto, in silentio et patientia. *Stabant summi pontifices Jesum constanter accusantes, Jesus autem tacebat.* Objiciebant illi crimina: *Jesus autem tacebat.* Instabant illi clamoribus et Jesum ad crucem posebant: *Jesus autem tacebat.* In cruce jam pendentem cachinnis subsannabant: *Jesus autem tacebat.* Nec aliter ejus mater. Observabat eam sponsus utero intumescere, ideoque cogitabat discessionem ab ea facere. Et quid egit sponsa? Maria autem tacebat et grande hoc discrimen Deo committebat. Audiebat illa Filium seniorum

catumnus appeffi: interim vero tacebat. Videbat eum cruce gaaviter onustum et sub onere corruentem: illa vero tacebat. Videbat morientem reclamante cælo et omnibus elementis: ipsa vero tacebat.

Taceo paupertatem, fortitudinem, prudentiam, et virtutes alias, quarum optimum magistrum semper habuit, Filium videlicet.

IV. In tribulatione et passione. Nihil enim pertulit Christus, cujus particeps etiam non fuerit mater. Una enim cum Filio suo tametsi nondum nato abiit in montana, et servivit Elisabethæ: abiit in Bethlehem, et exclusa ab eis incolis persistit in stabulo, vel spelunca extra urbem. Exclusa e terra Israel, fugit cum eo in Ægyptum, et ibi per septennium cum Filio exul fuit, ubi in summa rerum inopia cum eo vitam toleravit. Circumcisi dolores sensit in corde suo. Filium Jerosolymis perditum, quæsivit cum dolore, dum interim forte Filium fame premeretur. Et quis neget passionem Filii, passionem fuisse matris? Quotquot ietus Filius pertulit in corpore, quotquot dolores et contumelias; tot sensit in corde mater: *Siquidem amor, ut aiunt, magis est ubi amat, quam ubi animat.* Ergo una cum Filio mater flagellata fuit, cum eodem coronata fuit, cum eo crucem tulit, cum eo crucifixa, cum eo denique mortua est, si animam ejus spectes seu internos ejus dolores. Sane Albertus Magnus super Missus est, asserit morituram præ dolore fuisse, nisi id divinitus impeditum esset; quod etiam sensit Anselmus, I. de excellentia B. Virginis, cap. V. Exemplum affert Ludovicus Granatensis, in introd. lib. III. cap. II. « Ante paucos annos, inquit, in hac urbe per ministros justitiæ juvenis quidam capite truncatus est, ipsumque caput hæc suffixum publico loco expositum. Habebat hic juvenis matrem, quæ doloris victa impatientia, visum filii caput exiit, lacrymans cælumque gemitibus, suspiriis et quærimoniis implens. Cum vidisset, domum rediit, moxque tanto dolore correpta oppressaque est, ut eo ipso die spiritum doloris magnitudine præfocatum exhalaverit. Tanta vis est amoris matris in filium reum etiam et flagitiosum, inquit Granat. Quanto igitur justior fuit dolor Mariæ, quam illius matris, tanto etiam major.

V. In prærogativis multis, quæ servata proportionem matri debebantur et congruebant. Primo enim, de receptissima nunc sententia, concepta est sine originali culpa: secundo, in ipso adhuc utero matris prædita fuit rationis usu: tertio, ab omni culpa immunis fuit etiam veniali: quarto, post triduum resuscitata fuit et corpore assumpta juxta, illud Psa. CXXXI. *Surge in requiem tuam, tu et*

*arca sanctificationis tuæ.* Hæc et his plura privilegia contulit matri Filius, quæ habuit et ipse, sed modo eminentiore. Dicere etiam possem, similem ei potestatem, cum ea quam habet Filius, in cælo esse traditam ab eodem Filio; similem aïo, non parem. Quemadmodum enim in cælo duo sunt luminaria magna, sol qui præest diei, luna, quæ præest nocti, tametsi lumen suum a sole mutuatur: ita in cælo divisit quodammodo Christus potestatem regni sui, quæ justitia continetur et misericordia, juxta id Psalm. LXI. *Duo hæc andivi, quia potestas Dei est et tibi, Domine, misericordia,* et potestate quidem seu justitia sibi retenta, misericordiam cessit matri. Ita enim scribit Gerson, tract. IV. super *Magnificat*, ordinis Cælestini monachus, doctus et pius cancellarius Paris. addens in Maria impletum esse, quod Assuerus dixit Esther: *Etsi dimidiam regni partem petieris dabitur tibi*, Esther. V. Neque per hoc aliquid demitur Christo. Quemadmodum enim sol, dum tribuit lumen suum lunæ et ipse illuminat noctem: ita etiam Christus, dum dat matri potestatem recipiendi peccatores, et ipse eos recipit. Confirmat hanc sententiam communis Ecclesiæ vox, quæ Deiparam appellat *matrem misericordiæ.* Confirmant beneficia, quibus innumeri peccatores gratiam inveniunt per Virginem apud Deum: confirmat et Sanctus Anselmus, lib. de excellentia Virg. cap. VI. qui ait: *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Virginis, quam invocato nomine Domini Jesu.* Quia videlicet Christus cum sit omnium Dominus et iudex, discernit, et considerat uniuscujusque merita, antequam postulata concedat. Deipara vero non attendit ad merita peccatorum, sed Filii tantum sui merita considerat, et implorat misericordiam. Exemplum accipe de S. Philippo Nereo, anno a Virginis partu millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, in ejus vita, auctore Antonio Gallonio. Anno dicto, martio ineunte, Cæsar Baronius periculose ex febris laborare cæperat, ea febris vis fuit, ut die undecimo desperata a peritissimis medicis salute, ad exitum sine ulla humani spe remedii properaret. Id ubi Philippus animadvertit, sese ad orandum pro ejus valetudine dat, nec irritus; preces enim suas auditas esse sensit: id ipsum et Baronius certo hoc indicio didicit. Eo ipso tempore quo Philippus divinam precabatur clementiam, jucundissimo confestim somno corripitur: in somnis sibi videre videbatur eundem b. virum prope Christum stantem, ad Christi dexteram sanctissimam Virginem candenti amictu, posteaque Philippum obnixè Dominum rogantem audire: *Serva Cæsarem, pristina restitue valetudini, Cæsarem incolumem volo, supplicanti mihi Cæsarem redde.*



Et hæc quidem verba, qua erat in Deum fiducia, identidem alternis Moysis instar repetebat, interea cum sic diutius cum Domino, ut novus Jacob luctaretur, nec quicquam impetraret, videbatur sibi illum ipsum cernere, qui ad sanctissimam Dei matrem versus, cum ea suppliciter ageret, ut quod ex se consequi non posset, per ea omnino assequeretur, ejusque petitioni Virginem annuere, rogareque illico impense Filium ut quod ille peteret, concedere non gravaretur, eumque tandem exorare, quod Philippus voti compos efficeretur. Hæc itaque dum fierent, moribundus somno experrectus, et cœlesti indicio lætus melius habere cœpit, eoque ipso die suam in tuto vitam medicis admirantibus, idque miraculo dantibus collocavit, brevique post omni penitus ægrotatione corporis liberatur. Quibus profecto rebus haud vanum fuisse visum, ostensum est.

Ergo, auditores, bono animo simus, habemus enim solem in die, Christum, et lunam in nocte, Mariam. Quod si coram sole comparere non audeamus ob peccatorum nostrorum fœditatem: ad lunam nos conferamus, quæ fœditatem illam non adeo considerat. Etiam luna quidam sol est, quia ex sole nos illuminat. Ita qui Mariam habet, habet etiam Christum. Cum Darii uxor capta ab Alexandro Magno producta coram rege, errore decepta salutasset Hephæstionem pro Alexandro honorem ei exhibens, et mox errorem agnoscens pudefacta esset consolatus eam Alexander: *Non errasti regina, inquit, et ipse Alexander est*, (quia videlicet Hephæstio charissimus Alexandro fuit) Plutarch. in Alex. similiter o peccator, si metuens peccatis tuis confugas ad Virginem potius, quam ad Jesum, non errasti, et ipsa Jesus est.

### CONCIO VI.

QUA RATIONE BEATA VIRGO CONTRIVERIT CAPUT SERPENTIS.

I. Quia Christum genuit dæmonis victorem. — II. Quia hæreses perimit: 1. Quia credidit nihil esse Deo impossibile. 2. Quia apostolorum doctrix. 3. Quia auxiliatrix contra hæreticos. — III. Quia immunis ab omni peccato. 1. Ab actuali. 2. Ab originali. — IV. Quia tyrannidem dæmonis premit.

#### THEMA.

*Luna sub pedibus ejus. Apoc. XII.*

Sanctus Bernardus, in serm. super id Apocal. XII. *Signum magnum apparuit in cælo*, exponens quomodo dicatur luna sub pedibus Mariæ, ait: *Unicus iste stultus et totius stultitiæ princeps, qui*

*vere mutatus ut luna sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus et contritus miseram patitur servitatem. Nimirum ipsa est quondam a Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura. Hæc Bernardus; cui adtipulantur alii patres, qui sententiam illam divinam Genes. III. *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: tu insidias calcaneo ejus et ipsa conteret caput tuum*, de beata Virgine cujus solius, et non etiam viri, semen est Christus, isque solus, communiter intelligunt. At vero jam quærat aliquis qua ratione Maria contriverit caput serpentis. Audiamus.*

I. Quia Christum nobis genuit, qui dæmonis caput, id est, superbiam, qua in nos dominabatur, contrivit, et aperto Marte vicit, ac triumphavit, dum virtute propria in cruce diabolo regnum et spolia ademit. Judicium. c. IX. legimus, unam mulierem e turri, in qua confugerant cives Thebes, quamque incendio cingere conabatur Abimelech, lapidem seu fragmen molæ devolvisse super Abimelech, et confregisse cerebrum ejus, atque ita ab insidiis hostilibus liberasse turrim ac civitatem. Hoc idem et reipsa fecit Beata Virgo. Cum enim diabolicus Abimelech persequeretur civitatem Dei, id est, Ecclesiam ante Christum natum, confugere cives ejus ad turrim illam unicam, quæ erat spes redemptionis Israel, cumque dæmon omnes adhiberet vires et machinas ad Ecclesiam Christi prorsus excindendam utpote jam translato sceptro a Juda ad alienigenas, tunc mulier Hebræa, Virgo scilicet Maria lapidem illum angularem devolvit in caput diaboli et contrivit illud. Sola hoc Maria præstitit sine alterius hominis auxilio, quia sine viri semine Deum genuit, suaque virginitate de cælo in terram traxit. Porro Christus dæmonem trifariam contrivit. Primo, præpotentissima mortis suæ vi et efficacia. Secundo, admirabili sanctissimæ vitæ suæ exemplo, dum omnium cupiditatum lenocinia ita fugit ut cœlebs et castissimus semper manserit, honores et ambitionem omnem declinarit, ad regnum quæsitus fugerit, laudes alioqui sibi suisque miraculis debitas aversatus sit, ab ipsis incunabulis paupertatem et abjectionem sectatus sit, ad idem faciendum mundum invitavit. Tertio, doctrina et cohortatione ad omnem statum et fortunam utili, contra omnia inimici tela et machinamenta. Detexit enim nobis dæmonis insidias et omnis generis arma contra eas suppeditavit, nimirum fidem, sacramentorum usum, exorcismum ecclesiasticum, opera satisfactoria, invocationem nominis sui Jesu et Mariæ suæ, signaculum sanctæ crucis, res alias ab Ecclesia benedictas, etc.

II. Quia, ut Ecclesia canit, cunctas hæreses in universo mundo sola interemit. Designatur autem hæresis per serpentis caput, quia per eam suas exerit fraudes et insidias occultas. Ex libro Judith novimus. Holofernem obsedis Bethuliam civitatem, et incidisse canales ejus, ut aquæ penuria oppressam redigeret in suam potestatem. Sed heroissa illa Juditha caput ei præcidit atque ita suam civitatem liberavit. Diaboli typus est Holofernes. (Holofernes enim fortis dux exponitur, et dæmon fortis armatus dicitur a Domino.) Is per servos suos hæresiarchas obsidet Bethuliam, id est, Ecclesiam, Virginem Dei, (hoc enim significat Bethulia), ad eam expugnandam incidit ejus canales, id est, sacramenta et sacras Scripturas, per quas cœlestis gratiæ humor ad eam defluit, illa partim exterminat, partim enervat et exsucca facit, has vero depravat. Sed Maria Virgo præcidit illi superbissimum caput, convincendo et confundendo hæreses, earumque fraudes, pertinaciam et insidias, atque ita sicuti Judith, una ipsa confusionem facit in homo Nabuchodonosor, id est, Luciferi. Qua ratione, inquis? Primo, quia ipsa credidit angelo dicenti non esse impossibile apud Deum omne verbum, adeoque Deum fieri hominem et filium hominis, et quæ hinc mira et stupenda consequuntur. Convincit ergo et confundit hæreticos, qui multa fidei dogmata superbissimo suo capiti persuadere nequeunt, veluti Deum revera hominem factum, quod Manichæus et alii negarunt: revera ex virgine natum, quod negavit Cerinthus: Mariam vere Deiparam esse, quod negavit Nestorius: Filium esse Patri consubstantialem, quod negavit Arius: Christum contineri totum in eucharistia posse quod negavit Calvinus: panem et vinum in Christi corpus posse converti, quod negat Lutherus, etc. Hos inquam et reliquos convincit et confundit Maria, quæ credidit et credere nos docuit, non esse impossibile apud Deum omne verbum ac proinde fieri Dei virtute posse, ut Deus homo fiat, et virgine nascatur, etc.

Secundo, quia apostolorum doctrix fuit, præcipue S. Joannis, cujus curæ commendata erat, qui et suo evangelio contrivit hæreticos sui temporis, divinitatem Christi impugnantes. Et unde habuissent evangelistæ quæ de Christi conceptione, nativitate, infantia, pueritia scripserunt, si non a Maria. Eadem illa catholicæ fidei formulam præscripsit S. Gregorio Thaumaturgo, mediante S. Joanne evangelista, ut in ejus vita apud Surium. Illa manum abscissam restituit S. Joanni Damasceno, qua hæresin iconomachorum scriptis suis præclarissimis exagitaret et confutaret.

Tertio, quia fidissima auxiliatrix adstitit catho-

licis contra hæreticos. Uti Narseti, Justiniani imperatoris duci, cui præclaras et miras victorias contra Arianos, Totilam et Gotthos concessit: monebat enim illum quando pugnandum esset, Evang. lib. IV. cap. XXIII. Ob eandem offensam Nestorius hæreticus, juratus Virginis hostis, a toto Ephesino Concilio anathemate perpetuo percussus, ab imperatore in exilium pulsus, miserime periit, lingua ejus blasphema, qua Mariam *theotocos* pronuntiare et fateri noluit, a vermibus erosa et toto putrescente corpore, Niceph. 1. IV. cap. XXVI. ob eandem Constantinus Copronymus Iconomachus vivens adhuc igni inextinguibili traditum se clamavit, ut alibi dictum. Eadem patrocinante Pragensem illam victoriam contra hæreticos nuper obtentam non immerito credimus, in ultionem patrati sceleris in ejusdem imaginem ligneam, cui hæretici oculos effoderant, cujusque sacrum nomen in pugna tessera nostrorum erat.

III. Quia immunis ab omni peccato fuit et primo, ab actuali. Ita serpentis caput, id est peccatum (quia quo peccatum ingreditur, eo ipse sequitur) contrivit. Unde S. Bernardus, sermon. II. super Missus est, ait: *Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, qui omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum*: et Sanctus Fulbertus Carnotensis: *Contrivit, inquit, Maria serpentis caput, servando virginitatem et humilitatem, quia et hac extinxit mentis superbiam, et illa carnis concupiscentiam*. Cæterum hominum nemo, paucissimis exceptis, tam perpetuas, tamque capitales cum eo gessit inimicitias, ut non aliquando admitteret ejus blanditias. Nam is primo capite blanditur, deinde ventre oblecta, tandemque cauda ligat; quia omnis tentatio perficitur suggestione, delectatione, consensu. Si quem ergo non prorsus ligavit, saltem aliquando delectavit. At beata Virgo nulla in re collusit ei unquam, sed caput, id est, suggestionis ejus initium illico contrivit. Quemadmodum ergo Mardocheus solus ex omnibus servis Assueri, non flexit genua coram Aman: ita sola Maria non curvavit unquam genu tyranno illi. Recte igitur Cantie. VII. comparatur ejus statura palmæ, quæ rectissima et procerissima est, nec cedit ponderi superposito, sed resistit et contra nititur.

Secundo, juxta communem hodiernæ Ecclesiæ consensum, immunis etiam fuit ab originali peccato, quod caput est serpentis, quia per id intravit in mundum, obtinuit vires suas in homines, tamquam a radice, et dejecit eos in alia peccata. Quæ sententia confirmari potest, primo ex Scriptura, in qua ab angelo salutatur gratia plena. Non



potest autem intelligi plena intensive, ita ut non potuerit habere majorem gratiam, ergo intelligendum est, fuisse plenam extensive, seu quoad durationem a primo instanti usque ad ultimum. Secundo, quia in Ecclesia Græca ante annos 1000. celebratur festum conceptionis ejus, ut refert Petr. Galat. lib. VII. cap. VIII. tom. IV. biblioth. sanct. die 9. decemb. In Latina, ante 500. fere annos, ut patet ex epist. CLXXIV. S. Bernard. et Anselmo ep. ad episcopos Angliæ. Quæ consuetudo paulatim confirmata est, et nunc victoriam obtinuisse creditur. Nec mirum, quia Ecclesia dicitur aurora consurgens, quod successu temporis crescat; in cognitione Scripturam et mysteriorum fidei; sicut olim Ecclesia sub lege naturali et scripta crevit paulatim in cognitione et observatione legis. Crevit igitur et in hac sententia quæ habetur in revelatione Sanctæ Birgit. lib. cap. VI. XLIX.

Tertio, quia non est deneganda B. Virgini dignitas, cui non contradicit Scriptura, nec fides, nec pontifices, nec universalis Ecclesiæ consensus. Hæc autem talis est. Nam primo, quod ait Scriptura, omnes peccasse in Adamo, intelligi potest de priori naturæ, in quo contrahere debebat peccatum, nisi fuisset præventa et præservata a Deo; similiter omnes redempti sunt a Christo, intellige, vel a peccato, in quod incidere debebant, nisi fuissent præventi, uti B. Virgo, vel a peccato in quod reipsa inciderunt, ut cæteri mortales. Exempli causa: servus potest redimere filios suos a servitute, alios quidem postquam concepti sunt, alios antequam concipiuntur, ita ut in instanti conceptionis concipiuntur liberi, qui debebant concipi servi: et ita hi redimuntur a servitute, non in qua erant, sed in qua esse debebant. Hoc posteriore modo concepta est B. Virgo, priori cæteri mortales. Secundo, non est contra fidem, quia Sixtus IV. lib. III. extrav. ca. Grave nimis, damnat eos qui dicunt hanc sententiam pertinere ad hæresin: et Pius V. in const. super hac re edita similiter. Tertio, non est contra pontificum decreta, nam licet Pius V. qui voluit omnia revocare ad antiquum ritum, sustulerit officium de conceptione Virginis, id tamen Gregorius XIII. restituit. Denique, nunquam contradictum est huic sententiæ communi Ecclesiæ consensu, ut ex dictis colligi potest.

Vere igitur hæc ex parte dici de Maria potest, quod olim de Marcello Romanorum duce fortissimo dictum legimus, quod Hannibalem tot Romanorum cladibus insolescentem ac vinci propemodum nescium docuerit posse vinci; quando ipsa diabolus, cujus imperium nullus unquam mortalium effugit propter originale peccatum, docuit posse vinci.

IV. Quia caput, id est, superbam dæmonis tyrannidem, qua teste Job, cap. XLI. velut rex *dominatur super universos filios superbiæ*, id est, peccatores sub potestate sua habet ac premit, ita ut quoscumque peccatores, qui ad ipsam confugerint, eripere ab ejus potestate queat. Quis enim dubitet matrem habere etiam potestatem in ea quæ sunt filii? Reginam posse etiam gratias concedere miseris ad se confugientibus, necnon ad regiam secum adducere quos vult? Consideranti mihi contentiosum funem, quem pro peccatoribus lucrandis jam inde ab exordio mundi trahabant, Deus et diabolus, Deus ut salvaret illos, dæmon ut perderet; videtur mihi illorum contentio similis esse ludo sacci, in quo communes lapilli (rusticos aut milites aliqui vocant) deprædari hostes possunt, quos a facie offendunt, qui vero reges seu reginæ progressu facti sunt, omnes omnino hostes, sive a facie occurrant, sive a tergo, seu a latere, rapere et spoliare possunt. Misit igitur initio Deus et paulatim promovit sua gratia suos patriarchas et prophetas, qui multos quidem dæmoni abripiabant milites, quos ad veri Dei cognitionem et præsentiam tractos Deo transcribebant. Rapuit enim dæmon plurimos Deo servos, et detractos in idololatriam aliaque scelera, perdidit, ut propterea conqueratur Deus de populo suo in captivitatem Nabuchodonosor, id est, dæmonis abducto, Isa. LII. cum ait: *Quoniam ablati sunt populus meus gratis, dominatores ejus inique agunt, dicit Dominus, et jugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa*, (quod videlicet sim Jesus, id est, Salvator) *quia ego ipse qui loquebar* (per prophetas) *ecce adsum*. Itaque novo adhibito conatu Deus homo fieri et matrem suam reginam facere constituit. Quare promovit eam paulatim per plures domunculas, id est, gratias ei collatas in conceptione, nativitate, præsentatione, desponsatione, præservatione a peccato, conservatione in virginitate, et tandem elegit eam in matrem, in qua velut ultima domo fecit eam reginam, quæ undequaque rapere posset dæmone quascumque animas, quæ Virgini obviarent et supplices acciderint. Hinc vocatur ab Ecclesia *refugium peccatorum, consolatrix afflictorum, auxilium Christianorum, regina sanctorum omnium*. Hujus rei figuram habemus in Rahab, Jos. II. quæ divertentes ad se exploratores servos Josue, abscondit a furore regis Jericho, et in fune coccineo dimisit per fenestram, jussitque ad montana pergere et ibi latitare tribus diebus. Rahab latitudinem significat. Et quid longius et latius patet, quam Mariæ nomen, virtus et gloria, quam beatam dicunt omnes generationes? Hæc igitur ex-

ploratores Josue, id est, peccatores, Christianos tamen, ad se confugientes abscondit a furore dæmonis (qui per regem Jericho designatur, quia Jericho lunam, hæc dæmonem significat ut supra ex Bern. diximus) et per funem coccineum, id est, merita Christi Filii sui demittit, jubetque jungeri ad montem, id est, Ecclesiam latitare ibi per triduum penitentis. Ex quo intelligimus superbi illius regis caput contundi a Maria, dum ea peccatores ad se humiliter divertentes recipit, ab ira dæmonis dimittit, et ad Christum remittit, licet ipsi dæmoni totos se devoverint. Quod si tempus ferret, plurimis exemplis demonstrari posset, quæ videri possunt apud Cæsar. lib. IV. cap. XXVI. et XXVII. Horat. Tusrellin. hist. Lauret. lib. VI. cap. XXXIII. histor. miraculorum Beat. Virg. in monte Serrato, ubi multi traduntur, qui dæmoni se devoverant, ab ejus tyrannide liberati, sola invocatione nominis Mariæ, vel toto peregrinationis ad ejus ædem facto, vel factu, aut aspectu tantum candelæ benedictæ et Mariæ imagine insignitæ.

Præ cæteris illustre est illud et clarissimum scriptorum testimoniis celebratum, quod Deipara in Teophilum Adanensis Ecclesiæ æconomum contulit beneficium; cui historia ne Centuriatores quidem pessimi nostræ tempestatis hæretici fidem abrogare ausi sunt, ut testatur P. Canisius, l. V. de B. Virg. c. XX. Ea vero, quia prolixior est, legi potest apud Surium, tom. II. die 4. febr.

Quare ad Mariam secure et confidenter accedamus; tenet illa premitque pedibus tortuosum illum serpentem, etc.

## CONCIO VII.

CHRISTI ORTUS CUR TANDIU, AD ULTIMAM MUNDI ÆTATEM DILATUS SIT.

I. Ut Christi majestas agnosceretur. — II. Ut Deus glorificaretur, mundus humiliaretur. — III. Ut patres eum desiderarent. — IV. Ut peccati gravitas agnosceretur. — V. Ut consuleretur senescenti mundo. — VI. Ut mundi recreatio perficeretur ultima ætate.

## THEMA.

*Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Gal. IV.

Legimus III. Reg. cap. XVIII. Eliam postquam ingens siccitas terram ob peccatum Achab fame afflixisset, et non pluisset annis tribus et mensibus sex, tandem in verticem Carmeli se contulisse Deumque pro pluvia orasse: interea puerum septem misisse vicibus, ut prospiceret versus

mare, num forte appareret nubes, quæ pluviam afferret. Sed cum primis sex excursionibus nihil cerneret, puer, tandem septima et postrema, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari: id quod puer statim annuntiavit regi Achab, ac mox inde secuta est pluvia grandis. Allegorice significat hæc sterilitas et famæ penuriam verbi Dei, gratiæ virtutum, meritorum, defectum fidei, etc. qua quidem sterilitate ob defectum pluvie incarnationis Dei affligebatur terra per annos 4000. Unde veteres illi patres maximis votis et precibus pluviam illam desiderabant velut Isaias: *Rorate cæli desuper et nubes pluant justum, etc.* Isa. XLV. Et in omnibus ætatibus prospexerunt ad cælum num forte se ostenderet, tandiu et tot desiderata suspiriis, pluvia illa incarnationis. Prospexit in prima ætate Adam; in secunda Noe; in tertia Abraham; in quarta Moyses; in quinta David; in sexta prophetæ. Sed hi omnes frustra prospexerunt et pluviam non viderunt, tandem septima vice, seu ætate cucurrit Joannes præcursor Domini versus mare, id est, Mariam, et clausus licet adhuc in utero matris vidit, ex illo gratiarum mari prodire nubeculam parvam humanitatis Christi jam incarnati. Unde exultans, lætissimum hoc nuntium annuntiavit mundo. Et inde brevi orta est saluberrima gratiarum pluvia, quæ mundum vivificavit et sæcundavit. Vere nubes Christus est, quoniam mediator Dei et hominum, sicut nubes media inter cælum et terram. Item, uti nubes solis ardorem temperat, ita Christus Dei severitatem; uti nubes sæcundat et inebriat terram, ita Christus aqua verbi Dei mundum; uti nubis beneficio solem intueri possumus, sic Christi beneficio lucem divinitatis aspiciamus. Vestigium vero hominis representat ista nubes, quia fuit opprobrium hominum et abjectio plebis. Sed quæ tandem causa est, quod ad ultimam primum mundi ætatem ei post annos 4000. ab orbe condito prodiit hæc nubes? Audiamus.

I. Ut regis adventantis majestas tanto melius agnosceretur et crederetur: solent enim regem præcedere multi nobiles et principes, deinde sequi ejus consiliarii, officiales, milites, etc. ipse medius incedere. Item cum aliquo peregrinatur, præmittit aliquos præfectos qui venturo præparent necessaria; ultimo ipse cum reliquis advenit. Sic Christus in mundum venturus præmisit longa serie per annos fere 4000. patriarchas, prophetas, summos pontifices, reges, etc. quos secutus ipse cum innumerabili sanctorum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, etc. S. August. tract. XXXI. in Joan. ait: *Quanto major judex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat.*